

Michael Cobabus Heinrich Schnitler

Disputatio Quarta De Iustitia

Rostochii: Richelius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729616622>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1645
Minda Tobabus
Hinnin Schrifler



In Nomine SS. Trinitatis

70

DISPUTATIO QUARTA

DE

79.

JUSTITIA,

Quam

Assistente Divina Gratia

Consensu amplissima Facultatis Philosophicae
in alma ad Varnum Academia.

SUB PRÆSIDIO

M. MICHAELIS COBABI

Sternbergâ-Megapol,

Publica disquisitioni subicit

HENRICUS Schmitler/ Rostochiensis:

In Auditorio Majori ad diem 1. Februarii
horu matutinu, pomerio



ROSTOCHII

Literis Johannis Richelii, Sen: Typ:

ANNO M, DC, XLV.

DISPUTATIO IV.

DE
JUSTITIA.

Thesis I.

SI nulla possessio, nulla vis auri, & argenti pluris est æstimanda, quàm virtus, quæ nonnunquam efficit, ut ex casa vir magnus exeat, & in deformi, humiliq; corpusculo, formosus animus, ac liber, & magnus existat; neminem, nisi vel leonina, vel vulpina, vel utraq; pelle sit indutus, inficiari posse arbitramur, quòd illa virtus, quæ reliquas omnes complectitur, & sine quâ nullus illarum est usus, nihilq; potest esse inter mortales laudabile, tanto amore sit prosequenda, quanto tenemur desiderio, ut vigeat, & floreat Respubli. Quemadmodum igitur *Justitia*, omnium virtutum est domina & Regina, quæ illud unicè promovet, quod creatori est honori, & humano generi salutare: ita quoq; fateri oportebat, quòd illià amissâ & sepultâ, nulla melioris fortunæ spes relinqvatur mortalibus. Si enim Regis *Justitia* est pax populorum, tutamen Patriæ, immunitas plebis, munimentum Gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, & hæreditas filiorum: non erit difficile hariolari, nec opus erit, ut quispiam interroget, quam sortem sperare jubeat Regis & Civis injusti. Quoniam autem nemo re quâpiam potest rectè uti, nisi naturam illius benè habeat cognitam; faciliè illorum sententiæ accessimus, qui summè necessarium esse judicant, ut illius habitus, & virtutis natura, sine quâ nulla valet prudentia consultò, & deditâ operâ addiscatur. Quod igitur felix faustumq; esse velit is, qui est Ens optimum & sapientissimum, Producimus in publicum præsentem Disputationem, quæ agit de *Justitia*.

II.

Hujus naturam, ut rectè percipiamus, consideramus primo loco ipsum *Justitiæ* vocabulum, quod si spectatur 1. Nominaliter & Grammaticè, 2. Consequenter tanquam *Juris effectus*, descendit immediatè à *justo*, & mediatè à suo primitivo quod est *Jus*: Si vero causaliter vel antecedenter, non *Justitia* à *Jure*, sed *Jus* à *Justitia* absq; omni dubio deducitur. Quæ vox etsi in diversis *Dilciplinis* & *Facultatibus* diversas admittit significationes: In illa tamen hoc loco est accipienda quæ notat actum quendam formalem, vel habitum, quo civiliter *justi* sumus, & apti reddimur ad *justas actiones* sponte & ex mentis voluntate producendas.

III.

Quomodo autem hoc modo adhuc sit *Homonymum*: illud videre est ex l. 5. *Ethic.* ubi ostenditur, *justum* quendam vocari, vel à *Justitia* universali, quæ ad omnes illud extenditur, quod *Legibus* & *Juri* est consentaneum: vel quæ vitam agimus *Juri* & *legibus* convenientem, atq; obedientiam præstamus omnibus virtutibus, quò publica utilitas promoveatur, & *Civilis societas* tranquillè conservetur: vel à *Justitia* particulari, quæ sese extendit ad alios, & in præmiorum atq; oneris distributione, vel etiam in contractibus ea, quæ *justa* sunt docet velle & agere. Hæ *justitiæ* diversæ significationes ex *Injustitiæ* diversâ acceptione facillè cognoscuntur. Quemadmodum enim *injustus* duplex est, puta is, qui *leges* violat, & is, qui sibi plus arrogat, quàm alteri concedit; ita quoq; duplex est *justus*; Unus est, qui *legibus* est subjectus: alter qui est æqualis.

IV.

Quod priorem attinet *Justitiam*, quam *legalem*, & *universalem* appellant, non poterit illa esse virtutis pars subjectiva; vel certa illius species, cum sit tota virtus, non tantum ratione officii, & efficaciam, quatenus omnium virtutum reliquarum actus ad commune bonum referre doceat; sed etiam ratione sui esse, vel essentiam, quæ tam latè patet, quàm ipsius virtutis essentia. Etsi enim dicitur *Justitiam* hanc esse similem *charitati*, quam *Generalem* vocant, quatenus ordinat aliarum virtutum actus ad suum finem; *Specialem* autem,

autem, quatenus ratione essentia subicitur suo Geni Univoco, & proximo: manifestum tamen est, hanc sententiam Aristotelis mentem l. 5. Eth. c. 1. perspicue propositam, non assequi. Appellat quidem Philosophus Justitiam Generalem virtutem perfectam, non tamen inde colligendum erat, quod sit virtutis species, dum satis declaratur, quomodo per illam non virtutis pars sed universa virtus, quemadmodum per Injustitiam non pars vitii, sed universum vitium sit intelligendum. Quod ipsam facit, ut non tantum præclaro fruatur elogio, quo dicitur: Justitia in se virtutes continet omnes; sed etiam tantâ admiratione afficiat mortales, quantâ non possunt Lucifer vel Hesperus. Perfecta igitur dicitur, non simpliciter, sed ratione extensionis, quâ latissime est diffusa, & omnia ad publicum bonum docet referre.

V.

Quandoquidem ergo tam late patet, quam ipsa virtus, non poterit ab ea differre, nisi solâ relatione, vel modo tantum considerandi: est enim unus idemque habitus, qui, si ad alium refertur, dicitur Justitia: Si vero in se consideratur, quatenus talis quispiam habitus est, simpliciter virtus appellatur: Virtutis enim est, possessorem reddere virum probum simpliciter: Justitia autem involvit ordinem ad alios, dum virtutum Moralium verum usum ostendit, & docet, quomodo non tantum erga nosmetipsos sint exercenda; sed etiam illis sit utendum, in societate, & publicis negotiis: quâ in re adsentientem habemus Aristotelem qui l. 5. Eth. cap. 1. inquit: Quid intersit inter hanc Justitiam & virtutem ex iis, quæ dicta sunt innotescit: Unum enim & idem sunt, sed esse non est idem: quatenus est ad alium, justitia est, quatenus autem habitus talis virtus simpliciter est.

VI.

Quibus expositis in aprico est 1. Objectum hujus Justitiæ esse omnium & singularum virtutum præcepta, qualia sunt illa, quæ spectant ad Fortitudinem, Temperantiam, Magnificentiam, Liberalitatem, Modestiam &c. itemque omnes leges ad publicam honestatem & societatem pertinentes, 2. Extrema esse illa, quæ sunt omnium, & singularum virtutum Moralium.

ubiq; servat, & fortiter, temperanter, liberaliter, modestè, mansuetè
&c. vitam agit, & sanctis legibus atq; mandatis obedientiam præ-
stat, injustus vocatur à Justitia Universalì considerata 1. activè
quatenus sese accommodat ad principia communia puta honestè
vivere: alterum non lædere: suum cuiq; tribuere 2. passivè re-
spectu objectorum quibus tribuitur, Justitia.

VII.

Ex hisce cognoscitur, non opus esse, ut hic peculiaris tracta-
tio instituat de Justitia Universalì, ideoq; progredimur ad Justiti-
am Particularum. Quod a. detur talis justitia, illud satis superq; con-
stat ex illius opposito, puta Injustitia Particulari; Si itaq; Injustitia
interdū est vitium, quod à reliquis vitiis est distinctū, etiam Justitia,
quæ huic Injustitiæ opponitur erit virtus, à cæteris virtutibus distincta.
Sicut illud patet ex naturâ contrariorū. Jam autem nemo inficias
ibit, dari Injustitiam Particularem, quæ non totum vitium, sed il-
lius duntaxat partem constituit: quia necesse est, illum qui *πλεονε-
ξία* seu lucri immoderata captatione delinquit, particulari Inju-
stitiæ habitu peccare: quamvis enim omnes actiones ex aliis animi
improbis ortæ, aliis inferant injuriam, non tamen plus for-
titorū agenti, & aliis minus tribuunt, quod patet ex natura omni-
um actionum vitiosarum, quæ notant simplicem improbitatem: ut
Clypei abjectio, adulterium, percussio, &c. Hæ & aliæ actio-
nes prævæ sunt injustæ, & ad simplicem improbitatis speciem refe-
runtur. Quæ autem lucri causa committuntur, illa ita sunt injus-
ta, ut ad nullam improbitatem simplicem pertineant: quare con-
cedendum est, dari adhuc aliam Injustitiam Particularem, quæ ver-
satur circa lucrum, & damnum, & per consequens quoque Justiti-
am particularem Injustitiæ Particulari opponendam.

VIII.

Quæ autem illius sit natura nunc pluribus est declarandum.
Aristoteles quidem ejus proprietatem satis dilucidè delineat, nullam
autem nobis suppeditat Definitionem. quæ naturam illius accuratè
explicet & declaret. Jurisconsultus inquit Justitia est constans &
perpetua voluntas Jus suum cuiq; tribuendi: Quæ Definitio est
magna nititur autoritate; multa tamen à nonnullis in illa deside-
rantur.

rantur. Dicitur enim 1. Illam ad Justitiam Universalem accom-
 modari, & propterea esse latiore[m] suo Definito. 2. Voluntatem,
 quæ est facultas animæ rationalis, quâ homo res ab intellectu co-
 gnitas appetit, vel averfatur, non esse Genus Justitiæ, quæ est habi-
 tus moralis, & propterea non definienda erat per animæ rationa-
 lis facultatem, 3. Non omnes actus Justitiæ complecti, 4. tautolo-
 giam committi, quando dicitur constans & perpetua voluntas, 5. So-
 li divinæ Justitiæ esse tribuendam, nisi rejiciantur vocabula constans
 & perpetua, 6. dubitari, quomodo Jus suum cuiq[ue] tribuere, sit in-
 telligendum, & propterea Definitionem esse obscuram. Dn. Hor-
 naus ex Aristotele sequentem, inquit, construi posse Definitionem:
*Justitia est virtus, quæ tam in rerum distributione, quam commutatio-
 ne, ac contractibus, & omnibus, in quibus Injuria cuiquam tribui pot-
 est, ita hominem se gerere docet, ut nec de externis bonis, puta pecu-
 niis, honoribus & id genus aliis, plus sibi vendicet & minus alteri relin-
 quat, nec rursus de malis, i. e. Oneribus, pœnis, & c. minus sibi, & plu-
 alteri, quam par est, & jure illi debetur.* Alii dicunt: *Justitia est
 Virtus, quæ partim incommutando partim in distribuendo servat æqua-
 litatem.* Hæc Definitio resolvitur in duas distinctas partes: Prima
 est Genus proximum & Univocum, quod est Virtus; Secunda est
 differentia specifica, cujus fundamentum est Justitiæ Objectum.

IX.

Definitionem sequitur Divisio, ubi quæritur, quomodo Justitia
 Particularis dividatur, an ut totum prædicabile, quod sub se habet
 Justitiam Distributivam & Commutativam, tanquam duas distin-
 ctas partes Subjectivas, vel Species uni Generi Proximo, puta Justi-
 tiæ subjiciendas: vel an Justitia in linea Prædicamentali sit Species
 infima quæ dütaxat propter diverfos modos dividitur in Distributi-
 vam & Commutativam. Aristoteles illas distinctas vocat Species 2.
 Nam l. 5. Eth. c. 3. inquit: Hæc igitur una est Species justit. Et c. 2. huj[us]
 Justitiæ una Species est, quæ in Distributione, vel honoris, vel pecu-
 niæ, vel aliarum rerum, quæ inter eos dividi possunt, qui ejusd[em] Reip[ublice].
 Communionem conjuncti sunt, versatur: In his n. est, ut alter cum al-
 tero & æquum & iniquum consequatur: Altera est, quæ in rebus con-
 trahendis vim emendandi habet. Fundamentum harum Specierum
 est diversa ratio debiti: Si n. Justitiæ munus est, Debitum unicuiq[ue]
 reddere,

reddere, & diversa ratio Debiti est in Justitia Distributiva, ab illâ, quæ est in Commutativa: Siquidem hæc reddit illud, quod est simpliciter debitum; Illa verò quod est quodammodo debitum, concedendum erit, Justitiam Distributivam & Commutativam differre Specie.

X.

Statuimus igitur duas dari Justitiæ Particularis Species: Una appellatur *Distributiva*; Altera *Commutativa*, quarum natura, ut rectè percipiatur, notandum est, illarum 1. *Objectum*. 2. *Proportio*. Objectum Distributivæ Justitiæ, sunt omnia illa uti Aristoteles inquit l. 5. Eth. c. 2. quæ sub Distributionem cadunt & distribui inter eos solent, qui sunt Cives unius civitatis: Talia sunt, præmia, honores, dignitates, pecuniæ, onera publica, officia, labores & his similia, quæ cuilibet membro communitatis debentur secundum Proportionem Geometricam. Quod ut fundamentaliter percipiatur, operæ præcium erit, ut hoc loco dicatur, quid sit Proportio, & quomodo alia sit Geometrica alia Arithmetica. Quamvis enim hic duntaxat esset ostendendum, quare & quomodo in Justitia Distributiva adhibenda sit Proportio Geometrica; & commutativâ Arithmetica; Siquidem quælibet Disciplina habet suos limites, & nunquam illud in actu signato considerat, quod propriè in aliâ Disciplina est declarandum; Arbitramur tamen nobis non vitio dari, si proportionis naturam hoc loco attendamus, non ut diversas Disciplinas confundamus, sed Philosophum alioq; viros præclarissimos imitemur, siquidem *Ufus & res* postulare videntur, ut, quemadmodum sæpè una Facultas & Disciplina nonnulla mutuo accipit ex alterâ, illaq; obiter declarat, ita quoq; h. l. propter rerum difficultatem ex Mathesi proferatur, sine quo Justitia Particularis non poterat intelligi.

XI.

Per Proportionem autem non Intelligimus illud, quod est duarum quantitatum ejusdem Generis mutua secundum quantitatem habitudo, quemadmodum illam definit Euclides l. 5. Defin. 3. Sed ipsam proportionalitatem vel analogiam, quæ hodiè in tres Partes dividitur puta Arithmeticam, Geometricam & Harmoni-

CARE

cam vel Musicam; Arithmetica est, quâ plures coordinantur numeri, inter quos eadem est excessus differentia: ut sunt 2. 4. 6. 8. *Analogia Musica est*, quâ numeri ita ordinantur, ut eadem sit proportio ultimi ad primum, quæ est differentia inter duos ultimos, vel majores ad differentiam, quæ intercedit inter duos minores vel primos, ut 3. 4. 6. In hac proportionalitate numerus senarius sicuti bis continet minimum, ita differentia quæ est inter duos majores bis continet differentiam, quæ est inter duos minores; Nam ternarius numerus solâ unitate est minor quaternario, quâ senarius bis major est quaternario: *Analogia Geometrica est*, quando non servatur eadem differentia, aut idem excessus, sed eadem proportio multiplex, quâ ita progredimur, ut quoties primus eorum continetur in secundo, toties tertius in quarto, & quartus in quinto, ut 2. 4. 8. 16. 32. 64. Hæc analogia Geometrica est composita ex proportionibus subduplis; quia 2. sunt dimidium de 4. Hæc rursus de 8. & sic consequenter.

XII.

Mediâ proportionem hoc loco Bødino relicta primam & ultimam, quæ plurimum faciunt ad nostrum institutum hic sedulo attendimus. Quæ admodum enim in Proportionem Geometricam, & Arithmeticam ad minimum quatuor requiruntur termini; ita quoque jus vel Justitia in totidem consistit terminis. Nam si injustus inæqualis est, & injustum inæquale; debet esse aliquod medium, quod est inter plus & minus, quæ naturam inæqualitatis efficiunt. Illud dupliciter consideratur 1. quatenus est medium, quod est inter plus & minus. 2. quatenus dicitur Jus vel justum & consistit in debito & æquitate propter quam debetur. Oportet enim, ut jus vel justum distributivum fiat secundum dignitatem. Si igitur non eadem est personarum dignitas, æquitas illa diversa postulat diversam quoque distributionem & compensationem. Quâ posita concedendum erit, requiri in justitia distributiva exercenda certas personas & quidem ad minimum duas, quibus jus tribuatur. Totidemque res, quibus jus vel æqualitas inhæreat.

XIII.

Sicuti igitur se habet persona cum suo precio ad aliam personam

H

sonam

sonam eum suo precio ; Ita se debet habere precium ad precium,
& persona ad personam. E. g. fit totum aliquod, quod est vel bo-
num, & dicitur præmium : ut sunt agri ab hostibus capti, pecunia
publica, honores, quos confert Resp. & his similia : vel malum, &
dicitur onus : ut sunt labores & alia, quæ conjunctis viribus cogi-
tur ferre societas. Hoc bonum vel malum sicuti pertinet ad to-
tam societatem ; ita quoque ad singula membra, quatenus sunt illius
partes, quarum in distributione magna habenda est ratio, ut pro
illarum diversitate diversa quoque sunt præmia & onera. Dantur
enim causæ dispares in societatis vel civitatis membris (impossibi-
le est inquit Arist. lib. 3. Polit. c. 3. ut omnes cives sint similes) quæ
maximopere efflagitant, ut illis offeratur præmium, & onus im-
ponatur secundum illam proportionem, quam habent ad to-
tum, vel ut idem dicatur clarius : sint duæ personæ in unâ civitate
& duæ partes oneris vel præmii, Prima persona dicatur A secunda
B. Prima autem pars oneris vel præmii sit C. secunda D. Inter il-
las personas præmium aliquod, vel onus distribuatur prout justum
& æquale est. Persona A. sit similis numero binario in propor-
tione ad 8. Persona B. quaternario in proportione ad 16. Nam
quemadmodum se habent duo ad 8 ; ita Persona A ad partem O-
neris vel præmii C, & quemadmodum se habent 4. ad 16 ; ita perso-
na B ad partem Oneris C.

XIV.

Quo Exemplo non statuimus, duas personas in civitate esse
excipiendas, quibus totum onus imponatur, vel totum præmium
offeratur. Sed partes oneris, & præmii ita esse distribuendas, ut &
illis, & reliquis ad societatem pertinentibus in suo ordine & gradu
sua tribuatur portio. Nam quod distribuitur, illud est commune,
& pertinet ad totam societatem. Quod igitur alicui non debetur
tanquam de bono communi, neque imponitur tanquam de malo
communi, illud ad justitiam Distributivam non refertur. Patet
illud ex differentiâ specificâ, quâ justitia distributiva distinguitur à
commutativa. Hæc enim occupata est in illis rebus, quæ privato
nomine sunt debita ; Illa autem circa bonum, quod debetur alicui
de bonis communibus, & malum quod ut publicum onus impo-
nitur.

nitur. Nam qvod Jus in dividendis tribuendisq; communibus inter cives rebus consistit, semper in ea, qvam dixi, proportione versatur, inquit Aristi. lib. 3. Eth. c. 4.

XV.

Atq; hoc est illud qvod Thomas perspicue declarat, qvando inquit; In distributivâ justitiâ datur aliquid alicui privatæ personæ in quantum id, qvod est totius, & debitum parti, qvod qvidem tantò majus est, qvanto ipsa pars majorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiva Justitiâ tantò plus alicui de bonis communibus datur, qvanto illa persona majorem habet principalitatem in communitate. Et ideo in Justitia Distributiva non accipitur mediû secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rei ad personas. Quâ proportione neglectâ, audiuntur multæ quærelæ & expostulationes: æquales conqveruntur de oneris distributione inæquali: inæquales de æquali: Hinc rixæ, pugnæ, & mutua odia, quæ non possunt non causari, ut civitas vel societas labefactetur, & paulatim vires suas amittat.

XVI.

Perspicitur a. ex illis, quæ jam sunt proposita, 1. operæ peculiariter alicui præstitæ compensationem non pertinere ad Justitiam Distributivam, quia hæc est merces quædam, quæ non propterea alicui offertur, qvòd est civis, sed qvòd illam commeruit. Jam autem illud, qvod in Justitia Distributiva attenditur, non est nisi dignitas, & locus, quem aliquis tenet in societate, Possunt enim justè distribui pecuniæ, & agri ab hostibus capti, qvanqvam non quisq; accipit tantum, qvantum per se est meritus. Aliud n. est accipere, qvod debetur virtuti, & aliud est, qvod ex bonorum communium & publicorû distributione alicui debetur, cum in Justitia Distributiva (ut Thomas rursus inquit) non attendatur æqualitas ejus, qvod quis accipit ad id, qvod ipse impendit, sed ad id, qvod alius accipit secundû modum utriusq; personæ. 2. Societatis contractum, non spectare ad justitiam distributivam. Etsi n. illius membra inæquales accipiunt lucri partes, & lucrum est bonum commune; dividitur tamen illud secundû Justit. Commutativâ, quia 1. oritur ex vero contractu, 2. nõ ut præmium, sed ut debitum porrigitur secundum Proport. Arithm.

cum Persona non Personæ sed lucrum portioni fortis, vel pecuniæ, quam ad sortem communem quis contulit, adæquetur.

XVII.

3. Pœnas non cadere sub distributionem, vel Justitiam Distributivam non posse adhiberi in Pœnis irrogandis. Frustrâ itaq; contendunt, qui pœnas distribui sentiunt secundum Proportionem Geometricam, quia 1. Pœnæ non distribuuntur sed infliguntur juxta Proportionem Arithmeticam, quæ non respicit Personarum dignitatem ut Proportio Geometrica, sed nudam adæquationem delicti & pœnæ, 2. non sunt communes & certo modo ad omnia & singula totius societatis membra pertinentes; Nam aliàs sequeretur, illas ita esse dividendas inter omnes cives, vel societatis membra, ut singulis certa quædam pars assignetur, quod est falsissimum: Comparantur quidem inter sese delicta, quæ vel ex proæresi, & crudeli animo vel ex errore committuntur, ut graviori vel mitiori pœna legis transgressores puniantur: non autem alia & quidem mitior pœna nobili, & alia Plebeio; sed alia homicidæ, alia parricidæ, & alia aliud flagitium committenti statuitur, nisi forsam per Accidens personæ cujusdam in Pœna irroganda habenda sit ratio. Neq; illud, quo mitior Pœna statuitur delictis ex ignorantia, quam ex proæresi commissis, pugnat cum proportione Arithmetica. Quemadmodum enim illa non tollitur, quando res inæquales inæquali precio venduntur; ita quoq; ei non repugnat, quando Pœna cum delicto comparatur, & inscius peccans aliter punitur quam sciens.

XIIX.

4. Divisionem illam, quæ Justitia Distributiva dividitur in remuneratorem & Punitorem esse latiore suo diviso: Nam punitoria, quæ nocentes ut par est pœnis & supplicis afficiuntur, pertinet ob datas rationes ad Justitiam commutativam. Atq; hæc dicenda erant de Justitiâ Distributiva, quæ est virtus, æqualitatem servans in Distributione rerum externarum, cum malarum tum bonarum, pro ratione dignitatis & ordinis Personarum. Sequitur Justitia Commutativa, quæ distinguitur à Distributiva 1. Objecto. Hæc versatur circa illa, quæ, sive bona, sive mala sint, alicui debentur, quatenus

quatenus est societas alicuius membrum: Illa occupata est in istis rebus, quæ privato nomine vel quovis alio titulo & Jure alicui competunt, 2. Proportione: In hac servanda est Arithmetica, in illa autem Geometrica.

XIX.

De hac Justitiâ Commutativâ inquit Arist. l. 5. c. 2. Alterum Genus Justitiæ est, quod in pactis contrahendisq; rebus tanquam regula adhibetur, cujus sunt duæ partes; nam Contractuum alius voluntatis est, alius non est. Voluntatis sunt venditio, emptio, decessio, commodatum, depositum, locatio, conductio, qui contractus voluntarii dicuntur, quod illorum principium à voluntate nostrâ proficiscitur. Illi autem qui non sunt voluntatis, vel nobis invitis fiunt, partim sunt clandestini: ut furtum, adulterium, veneficium, cædes dolo facta, falsum testimonium: partim vi fiunt, & sunt violenti: ut verbera, vincula, mors, rapinæ, membrorum debilitatio, convitium, contumelia. Non autem ex hoc duplici contractu sequitur quod Justitiâ Commutativâ sit dividenda in duas distinctas species: Etsi enim hæc diversitas quædam est ratione materiæ, cum in Commutatione atq; contractu, qui fit sponte, res tantum compensentur, in invito autem damnum pariter & offensam; una tamen est ratio formalis, cum in voluntariis, & invitis contractibus una & eadem sit debiti ratio, unusq; modus res ad æqualitatem redigendi. Uti ostendit Dn. Hornæus in Philosophia Morali pag. 485.

XX.

Objectum itaq; Justitiæ Commutativæ uti ex Aristotele antea citato constat, sunt omnes res commutandæ, vel ipsæ Commutationes & rerum contractus, sive sint voluntarii, sive invitivi. Proportio, quæ in hac Justitiâ spectatur dicitur Arithmetica: Nam quemadmodum in Justitiâ Distributivâ rerum æqualitas æstimatur ex personarum dignitate, ita in Justitiâ Commutativâ rerum permutandarum æqualitas spectatur sine personarum respectu, ut unusquisq; tantum accipiat boni & mali, quantum utriusq; ab illo in alterum profectum est. Quando enim injustus factus est contractus, Judex, qui est jus animatum in Judicio non respicit perso-

nas (nihil enim refert, utrum probus pravo detraxerit, vel pravius probus,) sed quantitatem lucri & damni, ut inæqualitatem in permutatione ortam corrigat. Aufert igitur Portionem quandam ab illo, qui habet plus, illamq; adjudicat ei, qui habet minus: quemadmodum duæ lineæ inæquales æquales redduntur, quando longiori pars quædam subtrahitur, & additur breviori. Qui igitur plus habent in permutationibus, illis pars quædam est detrahenda: qui minus, illis tantum est addendum, quantum postulat rerum æqualitas, quæ hîc æstimanda est non ex rerum quantitate, sed dignitate, qvæ qvæ, labore, & arte, quæ rei inest.

XXI.

Extrema h. l. exprimuntur uno nomine putà Injustitiæ, quâ inter contrahentes æqvitas ita violatur, ut uni obveniat lucrû, alteri verò damnum. Per lucrum hîc intelligitur plus boni & minus mali, per damnum plus mali & minus boni, ortum ex permutationibus voluntariis & invitis. Accipitur enim vocabulum lucri & damni, hîc latius quam vulgo solet, siquidem transfertur ad illos quoq; contractus, qui non sunt voluntatis, vocatur enim, inquit, Arist. l. 5. c. 4. in rebus ejusmodi, etiamsi minus aptum quibusdam nomen videatur, in eo, qui violatus est, damnum: nam plus boni, & minus mali lucrum est, cujus contrarium est damnum. Qui igitur verberat, ille lucrum habet, vel plus boni, puta vindictæ cupiditatem; qui autem verberibus tractatur, ille habet damnum, & dolorem, vel plus mali. Controversiâ igitur ortâ, uterq; ad judicem venit, qui profitetur, se esse legem loquentem. Hic ad æqualitatem revocat lucrum, non secus ac si quis duas inæquales partes lineæ faciat æquales.

XXII.

Æqualitas autem illa, ad quam Index revocat damnum & lucrum, non potest esse, Pythagoricæ talionis reciprocatio, sicuti illud ostendit Arist. l. 5. Eth. c. 5. ubi inquit, Atq; etiam in lege talionis videtur quibusdam jus esse omnino positum: In qua sententia Pythagorei fuerunt. Desinebant enim omnino jus esse talionis
reci-

reciprocationem. Atqui lex talionis nec ad jus, quod in tribuendo cernitur, nec ad id, quod emendandi causa, comparatum est, accommodatur, &c. Non enim potest fieri, ut Injustitia Distributiva & Commutativa hæc talio simpliciter locum inveniat: Commutativa n. 1. non concedit, ut subditus, qui Magistratum verberat, similibus tractetur & excipiat verberibus; sed potius gravius quoddam supplicium verberanti imponit, 2. distinguit inter invitos & voluntarios contractus, ut cognoscatur, quomodo aliquis quid fecerit, & poena possit esse pro delicti qualitate vel gravior vel mitior. Distributiva talionis reciprocationem planè ignorat, quod enim distribuitur inter singula membra, illud oportet jam antea sit vel existat. Atque hæc dicenda quoque erant de Justitiâ Commutativâ, quæ est virtus æqualitatem servans in contractibus, sine personarum respectu, ut quisque suum consequatur, & neutra pars defradetur.

XXIII.

Utinam hæc virtus nunc ubique floreret, & nemo sibi alieni quid vendicaret. Quid enim illo, potest esse præstantius, & utilius, quod non patitur virum bonum à vero declinare, nec damno quemquam afficere, nec dolo aliquid annexere rei suæ? Quemadmodum injustitia irrogata est illius infamia, & infamia, qui illam fecit; ita justitia est famæ & perpetuæ commendationis fundamentum, non illius, qui tum, dum maximè fallit, id agit, ut vir bonus videatur; nam hac peste, inquit Ethnicus, nulla est capitalior; sed qui magis aliis, quam sibi profunt, & emolumentum commune præferunt privato. Verum enim vero qui pyrum & dumum nunc adspiciunt, illi brevi futurum esse, sperare possunt, ut florere incipiant, & fructum ferant; qui autem oculos suos in præsentem mortaliū vitam conjiciunt, illi arborem intueri videntur, cujus radices sunt extinctæ, & nullum attrahunt succum; Etenim quis locus est in hoc infinito universo puncto, ubi virtus non esset extincta, vel potius paulatim occideret, & non infinita injuriarum existeret multitudo, quæ sanè magni debebat esse doloris objectum. Solon interrogatus; quomodo posset fieri, ut inter
morta-

mortales quàm minimum injuriarum existeret, si inquit, qui injuria affecti non sunt, aequè doleant, atq; hi, qui affecti sunt. Sic Ethnicus sentiebat. An tu quoq; nunc ita sentis Christiane? quare igitur proximi sollicitudo tibi nullum adfert dolorem & cruciatum? Cur adhuc ignoras, viri boni esse scire pat, nec facere injuriam? cur non recordaris illius perpetuo, quod Ethnicus dicebat: Afferre injuriam me tibi innocenti iniquum est. Talis ignorantia profecto non decebat illum, qui Christum vult sequi. Nam is quotidie discit injuriam pati, & ex proximi damno capit dolorem. Patiamur igitur, & doleamus, ut Christiani simus, illudq; appropinquet, quod omnes exoptamus, & magno desiderio concupiscimus.

Corollaria.

1. *An melius sit injuriam pati quàm inferre? A.*
2. *An quis volenti possit inferre injuriam? N.*
3. *An summum jus sit summa injuria? A.*
4. *An aequitas pugnet simpliciter cum injuria? N.*

Quod praesentem Disputationem, quae ratione ordinè, quem nobis natura vel recta ratio ostendit, non potest esse quarta, immediate subjunximus disputationi tertiae, illud benevolus Lector non sequitur interprete:ur, obnixè rogamus, quae enim quarto loco examini subicitur, ei in subsequentiis locum dabimus convenientem.



reciprocationem. Atqui lex talionis nec ad ju-
do cernitur, nec ad id, quod emendandi causa, co-
commodatur, &c. Non enim potest fieri, ut In-
va & Commutativa hæc talio simpliciter locum
mutativa n. 1. non concedit, ut subditus, qui M-
rat, similibus tractetur & excipitur verberibus; 1.
quoddam supplicium contractus, ut cognoscatur
quid fecerit, & poena possit esse pro delicti qualita-
mitior. Distributiva talionis reciprocationem
quod enim distribuitur inter singula membra, in
antea sit vel existat. Atque hæc dicenda quoque
Commutativa, quæ est virtus æqualitatem servare
sine personarum respectu, ut quisque suum conse-
pars defradetur.

XXIII.

Utinam hæc virtus nunc ubique floreret, &
quid vendicaret. Quid enim illo, potest esse pi-
us, quod non patitur virum bonum à vero decli-
quemquam afficere, nec dolo aliquid annexerit
modum injustitia irrogata est illius infamia, & infamia
ita justitia est fama & perpetuæ commendationis
illius, qui tum, dum maxime fallit, id agit, ut
tur; nam hac peste, inquit Ethnicus, nulla est
magis aliis, quam sibi profunt, & emolumentum
ferunt privato. Verum enim vero qui pyramidum &
aspiciunt, illi brevi futurum esse, sperare possunt
ant, & fructum ferant; qui autem oculos suos in
lium vitam conjiciunt, illi arborem intueri vide-
ces sunt extinctæ, & nullum attrahunt succo-
locus est in hoc infimo universo puncto, ubi virtus
cta, vel potius paulatim occideret, & non infini-
steret multitudo, quæ sanè magni debet
objectum. Solon interrogatus; quomodo po-




Image Engineering Scan Reference Chart: TE203 Serial No. 077 Patch Reference numbers on UTT